



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Sed an mulieres peccant, si se ornent ad placendum viris?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

tum aliquis sit paratus peccare mortaliter: vel ratione scandali, quod sæpè dant mulieres in modo se exornandi, qui ad luxuriam alliciat intuentes, ut reverà alliciunt mulierum referatus sinus, cæteraque corporis nuditates, ut docet S. Carol. in instruct. Confessar.

*Sed an mulieres peccant, si se ornent ad placendum viris?*

Sic respondet S. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. *Si mulier conjugata ad hoc se ornet, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quâdam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantum ad hoc, est de viris. Et ad 2. ait: Mulierum fucatio est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato... Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum.*

5. Eutrapelia seu jucunditas est virtus, quæ inclinatur ad servandum modum, ac decorum in dictis, & factis ludicris ad animi recreationem institutis.

Contra

Contra illam peccatur per excessum 1. Ratione objecti, si immodestum, petulans, contumeliosum, injuriosum, obscœnum, periculosum, vel prohibitum jocandi, aut ludendi genus usurpetur. 2. Ratione circumstantiarum, si genus ludendi, vel jocandi alioqui licitum exerceatur in loco vel tempore indebito, modo indecoro, nimis diu, vel contra dignitatem personæ illud usurpantis, vel ejus, coram quâ usurpatur. 3. Ratione immodici affectûs.

Per defectum verò peccatur, cum quis ex animi austeritate, seu morositate omnem honestam animi recreationem sibi necessariam repudiat, vel in aliis impedire conatur.

6. Circumspectio est virtus, quæ sermones moderatur secundum rectam rationem, & Legem divinam, ita ut non loquamur nisi quando, ubi, quæ, quibus, & quomodo oportet. Est valde necessaria, quia ex ejus defectu innumera admittuntur peccata, nam *lingua ignis est, universitas iniquitatis.* Jac. 3.

## APPENDIX.

### *De Jejunio Ecclesiastico.*

Q. I. **Q**uenam ad illud requiruntur?

Resp. I. **Q**uia I. Abstinencia à carnibus, atque etiam ab ovis, & lacticiis; nam hæc sunt

B 4

sunt